



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XIII. Gregorii Papae I. Ad Cyprianvm Diaconvm Rectorem Siciliae.
De ordinando episcopo Lilybetanae ecclesiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

missionis paginam donamus atque concedimus, ea sane lege atque conditione subnexa, vt si sine filiis legitimis, hoc est de legitimo susceptis coniugio, te obire contigerit, omnia quæ tibi concessimus ad ius sanctæ Romanæ ecclesiæ sine diminutione aliqua reuertantur. Si autem filios de coniugio, sicut diximus, cognitos lege susceperis, eosque superstites reliqueris, earumdem te rerum dominum sine quadam statuimus conditione persistere, & testamentum de his faciendi liberam tibi tribuimus potestatem. Hæc igitur, quæ per huius manumissionis chartulam statuimus atque concessimus, nos successoresque nostros sine aliqua scitote refragatione seruare. Nam iustitiæ ac rationis ordo suadet, vt qui sua a successoribus desiderat mandata seruari, decessoris sui procul dubio voluntatem & statuta custodiat. Hanc autem manumissionis paginam Paterio notario scribendam dictauimus, & propria manu vna cum tribus presbyteris prioribus, & tribus diaconis pro plenissima firmitate subscripsimus, vobisque tradidimus. Actum in vrbe Roma.

EPISTOLA XIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM RECTOREM
SICILIÆ.

De ordinando episcopo Lilybetanæ ecclesiæ.

Gregorius Cypriano diacono rectori Siciliæ.

LILYBETANÆ clerus ecclesiæ huc pro ordinando sibi veniens sacerdote, licentiam eis de exquirendo sibi episcopo nos dedisse cognoscas. Qui rapientes Decium Forensẽ presbyterum, sibi eum consecrari multis precibus poposcerunt, quorum petitionem necessarium duximus adimplere; & ideo dilectio tua in omnibus ei solatiari non negligat, vt, quia Theodorus quondam eiusdem ecclesiæ episcopus de reliquit plurima quæ emendari debeant, tuo in omnibus adiutus auxilio, dumtaxat æquitate seruata, causarum inquietudinibus liberior, in Dei laudibus possit existere.